




6

MEDITATIONVM
IVRIDICO-
HISTORICARVM
SPECIMINA TRIA

RENATI CAROLI, H. F. BARONIS
DE SENKENBERG,

SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO - DARM-
STADTINI IN TRIBVNALI REGIMINIS HIC LOCI
CONSILIARIVS, ECCLESIAQVE CATHEDRA-
LIS LVBECKENSIS, NEC NON COLLE-
GIATAE S. BONIFACII HAME-
LENSIS CANONICVS.



GIESSEÆ,
APVD JVSTI FRIDERICI KRIEGERI.
MDCCCLXXXII.

C o n t e n t a.

- 1.) De servitute altius tollendi.
- 2.) De loco quem depositæ pecuniæ non amplius apud depositarium exstantes in concursu creditorum fortiantur.
- 3.) De nominibus eorum qui cum læs. Friderico I. Pacem Constantiæ subscripsérunt.



MEDITATIO I.
IVRIDICA,
DE
SERVITVTE ALTIUS TOLLENDI.

CONSPECTVS.

§. I. Causa tractationis & propositum
Auctoris.

§. II. Principia generalia de servitutibus,
ex quibus criteria vera servitutis
eruuntur.

§. III. Prima opinio BARTOLI & sequa-
cium recensetur & refellitur.

§. IV. VVLTEJI ac BE SOLDI.

A

§. V.

§. V. Itidem SELCHOVII.

§. VI. BACHOVII.

§. VII. BEIERI.

§. VIII. VOETII.

§. IX. Nec non SCHILTERI.

§. X. Autoris opinio, quæ & PAGEN-
STECHERI, ceu vera proponitur.

§. XI. Removetur objectio a servitute
oneris ferendi desumpta.

§. XII. Itidem alia ex L. I. pr. D. de
S. P. V.

§. XIII. Nec non tertia ex §. 2. I. de
Actionibus.

§. XIV. Epilogus.

A §. I.

§. I.

Diu multumque de natura hujus servitutis inter Juris civilis Doctores disceptatum est; inter quos, ultimo loco quoad tempus, sed primo quoad molem operis eruditionemque, nominandus est in peculiari Diss. de ea Göttingæ 1755. habita, vir clarissimus, meus quoque in diversis Juris partibus olim Praeceptor, SELCHOVIUS, quem & quae hic contra ipsius placita prodest e proponentur, æqui bonique eo magis consulturum esse nullus dubito, quum ipse auditoribus suis nihil magis inculcare soleat, quam antiquum illud: nullius unquam jurare in verba magistri. Omnes tamen hosce, quot eorum mihi lecti sunt, aut rem acu non tetigisse, aut si tetigerint, non satis objectionibus contra eorum opiniones respondisse, affirmare non dubito. Ergo post tot ea de re altercationes, quænam harum omnium opinionum vera sit? eruere & in luce ponere ut allaborem, operæ pretium putavi. Quem in finem præmittenda mihi videntur generalia quædam de servitutibus principia, & formanda ex his criteria, omnibus de hac servitute opinionibus dijudicantis apta.

A 2

§. II.

§. II.

Primum omnium principium pone-
tur:

1) *Res servit, non persona.* Personam
nemini servire certum est de Jure Romano,
L. 6. §. 2. D. Si Serv. vind. Hinc servi
ipsi dicebantur non habere personam, quin
& aliquando *res improprie* vocabuntur.

2) *Servit res aliena.* Res sua nemini
servit, notissimum Juris brocardicūm.

3) Et quidem *rei alienæ.* Ex primo
principio sequentia fluunt: a) Res nihil
facere potest, (de rebus proprie sic dictis
loquor. Nam operæ servorum ex pacto
Domini Domino alieno præstandæ, nun-
quam in omni jure servitutes audiunt.)
Hinc, quod multis absurdum visum, ex
re ipsa sequitur, *per rerum naturam servitu-
tem in faciendo consistere non posse*, ut VLPIA-
NVS ait. Ergo

b) *omnes servitutes aut in patiendo,*
aut in non faciendo consistunt. Hinc

c) *servitus non est, quæ non in eo con-
sistit, ut res aliquid patiatur, aut aliquid in
ea non fiat.*

Ex

Ex secundo fluit; *Servitus non est, quodcumque in re sua a Domino geritur.*

Ex tertio; *Non est servitus omne jus, ad quod non duo prædia concurrunt, dominans & serviens.*

Hinc vera criteria servitutis:

- 1) ut non consistat in faciendo;
- 2) ut exerceatur in re aliena, & quidem
- 3) ita, ut Dominus in suo vel aliquid facere prohibeatur, vel a non Domino aliquid fieri patiatur.
- 4) ut de duobus prædiis sit quæstio.

Examinemus nunc omnes hujusque propositas Doctorum opiniones, & sub trudinam secundum hæc criteria revoce-mus.

§. III.

Veterum plerique, post BARTOLVM, quos videre est apud SELCHOV. l. c. p. IIII. §. 46. autumabantur, consistere eam servitutem in pacto vicini cum vicino, ut is ipse do-

tum suam altius tollat in commodum vicini, multaque inde orientia commoda omni data opera fingunt, quæ ibidem recenseret SELCHOIVS, p. 112. Sed non fingere hæc studerent, si perpenderent, hoc cum primo principio collidere. Nam sic Dominus in re sua in gratiam alterius aliquid ipse faceret, quod secundum dicta esse nequit. Dum dico *nequit*, non audeo negare, quin tale quid Romæ inter duos vicinos constitui potuerit, nec effectum legalem ei pacto denegare volo, sed effectum qualem pro natura pacti habere poterat. Si nempe pactum fuisset nudum, exceptionem, si stipulatio, actionem ex stipulatu producebat, non vero actionem confessoriæ servitutis. Scio quidem, PAGENSTECHEVM tale factum etiam ad servitudes certo modo referre, dum ait, Sicilimentorum P. III. p. 70. *Esse illud quidem contra naturam ordinariam servitutum, non tamen contra essentiam, quod ultimum probare nititur ex arg. l. 6. §. 2.* Sed huic primum regero, nuspianum quod sciam dari naturam rerum duplensem, ordinariam nempe & extraordinariam. Secundo, contra *essentiam* servitutum in jure Romano esse, ut aliqua servitus in faciendo consistat, supra §. 2. probatum dedi. Tertio & in primis notandum, legem a PAGENSTECERO adductam

Etiam non de casu loqui, ubi servitus ipsa in faciendo consisteret, ut hic, secundum horum, quos refello, opinionem fieret, sed de eo tantum casu, ubi a Domino prædii servientis poscitur, ut aliquid faciat, quod servitus in se quidem in patiendo consistens effectum habere queat, nempe ut parietem reficiat, qui onus ab altero ei impositum ferre debet, & de eo tantum casu responderet, contra Labeonem & asseclas obtinuisse sententiam eorum, qui credant & hoc actione servitutis oneris ferendi peti posse; quod sane alia plane res est, & defendi potest ex notissimo juris principio, accessorium principale sequitur, maxime si sit accessorium tale, quale in casu legis citatæ, id est sine quo principale esse nequit. (a) Quæ omnia si perpendisset PAGENSTECHERVS, tam mitis in concessione sua non fuisset, nec adeo ansam SELCHOVIO l. c. §. 112. eum inde taxandi præbuisset. (b)

A 4

§. IV.

(a) Bene constitutionem ipsam servitutis in faciendo, ab eo quod per accidens, ut servitus exerceri possit, a prædii servientis Domino fieri debet, distinguit SCHILTERVS Exerc. ad D. de servit. §. 8.

(b) Obiter tamen notandum, illic PAGENSTECHERO plus imputari, quam revera dixit aut

vi
oda
re
fin
hoc
sic
ali
esse
ne
vi
ga
um
rat.
io
atu
to
TE
tro
um
na
zen
are
um
m
&
en
ut
ra
is
u
m

§. IV.

Alii, inter quos VVLTEJS, (a) eam esse altius tollendi servitutem contendunt, ubi vicinus, cui antea quasi possessio juris, ut altius non tollantur ædes A. competierit, domino earundem ædium rursum potestatem altius ædificandi concedat. Sed secundum hanc explicationem jam aliis visum est, posse dici jus altius tollendi esse & non esse servitutem, (b) quia sic non nisi naturalis vel ad cœcum ædificandi libertas recuperatur. (c) Imo, quod isti non viderunt,

aut fecit. Ait enim ibi SELCHOVIVS, *Futilem
banc sententiam, quod mireris, suo vir acutissi-
mus, PAGENSTECHERVS scilicet, mancip. 3. com-
probare calculo non dubitavit, quasi vix aliam pro-
prietas verborum altius tollendi explicationem pa-
tiatur, nec aliae explicaciones subsistant.* Ubi vero
calculo suo comprobavit hanc sententiam PA-
GENSTECHERVS, qui eam veram esse negat, sed
quodummodo tantum sustineri posse putat?
Ubinam vola aut vestigium de eo, quod aliter
hæ verba, altius tollendi, explicari non possint?

- (a) Discept. Scholast. I. I. c. 5. allegatur a P. MÜLLERO ad Str. p. 801. T. I.
- (b) Verba VOLK. BECHMANNI, Exerc. ad D. L. §.
Tit. II. n. 27.
- (c) V. allegatos a P. MÜLLERO l. c.

certissime servitus non est tale pactum, quia
in suo exerceretur jus ita concessum, ser-
vitus autem in alieno, ut supra dictum, ex-
erceri debet. Idem fere cum VVLTEJO BE-
SOLDVS sentit, (a) & quinque casus adducit,
in quibus jure servitutis, non libertatis,
naturalis, quis altius tollat. Sed & hic
non perpendit, quod quocunque demum
titulo altius tollantur meæ ædes, semper
non nisi meæ sint, ergo me servitutem Ju-
ris Romani in illis exercere nequire, quia
res sua nemini servit.

§. V.

Rursus alii (b) & inter eos SELCHOVIVS
in cit. Dissert. §. 28. seqq. putat statutum
hic supponendum esse, quod prohibeat
ædes ultra certam altitudinem attollere,
qualia revera Romæ existisse & in se cer-

A 5

tum

(a) Delibat. Jur. Tit. de Servit. Et plures hie
adduci possent.

(b) MÜLLER ad Struv. p. 801. 6. I. not. β .

BOCERVS Classe V. Diff. VIII. Th. 46. &
allegati.

HARPR. ad I. de S. P. V. E. R. §. I. n. 30.

HVNN. ad Tr. Vol. I. Disp. XVII. Qu. 7. &
ibi cit.

tum est, & illic quam latissime deducitur, ne vicini inde lædantur, aut periculum ipsis immineat; huic, quum in commodum vicinorum statutum sit, a vicinis ipsis per pactum derogari posse, ut ergo hæc servitus sit pactum, quo vicinus incommodum vicini renunciet statuto in suum favorem condito, ne vicinus aedes suas altius tollat. Sed si recte examinetur & hæc sententia, nihil aliud est quam libertatis naturalis, vi cuius ad lubitum tollere ædificia licet, ex alio tantum titulo, ac in præcedentis §. casu restri-
ctæ, recuperatio; vel ut aliis verbis expri-
mam, remittitur vicino servitus a vicino,
quæ isti in hujus domum ex lege compete-
bat, altius non tollendi. Ita vero hic quo-
que Dominus in re propria servitatem exer-
ceret, & prædium serviens a dominante
non discreparet. Hoc autem quum, uti
§. præcedenti jam dictam, regulæ secundæ
quartæque obstat, hoc pactum si vel fieret,
quod accidere posse non negaverim, quod-
que ex l. 12. C. de ædificiis, Romæ vali-
dum fuisse l. c. §. 29. deducere studuit SEL-
CHOVIVS, pactum absque nomine, non ve-
ro servitus esset, in Juris Romani significa-
tu, nec erga actiones de servitutibus ei ap-
plicari possent.

§. VI.

§. VI.

BACHOVIVS, magni nominis JCtus, duas sententias proponit, (a) alteram quasi tentari possit, unam eandemque fuisse altius tollendi & non tollendi servitudes. Sed uni servitutis duo nomina, positivum nempe & negativum, indita fuisse, nuspiciam in Corpore Juris legimus. Nec enim ullus JCTorum servitutem, ne *luminibus officiatur*, ut etiam ut *luniinibus officiatur*, dixit, nec servitutem oneris ferendi, oneris non ferendi, &c. Altera vero, quam ceu suam adducit, hæc est: *eatenus dici servitutem altius tollendi, & eo respectu quatenus relatio fit ad vicinum, qui me altius ædificante ipse contra ædificare & luminibus meis officere jure constituta servitute non potest.* Ita vero ad unum rediret servitus altius tollendi, &, ne *luminibus officiatur*, quæ tamen nullo Corporis Juris loco ceu una eademque proponuntur, cuius, si revera distinctione apud Romanos non fuissent, ratio certe excogitari nequirit.

§. VII.

Dixisse se aliquid putabat ADR. BEIERS
(a)

(a) ad Treutlerum, Tit. de Serv.

(a) de hac materia loquens, dum autorem suum taxat servitutem altius tollendi nihil dare putantem, quam quod ex libertate naturali alias quoque competit, atque ita casum fingit: Exaltationem ædium suarum meditanti timendum aliquando esse, ne vicinus suas quoque eundem in modum attollat, quod ne fiat, eum in finem paetum ineundum esse. Dein addit: „*Hac demum ratione fundo suo quæsiverit aliquod Jus, sc. absque metu æmulationis ædificandi; factum autem & ante habuit. Illorum vero prædiis libertas ademta & in jus acquiescendi conversa est, quod alterius illius jus altius tollendi vocatur, horum vero respectu vera servitus est.*“ Ut utram putaverit dictus auctor, nihil tamen revera mihi quidem dixisse videtur. Nam jus quod acquiritur in casu dato, & quod vera servitus est, peculiare jam nomen habet, nempe *altius non tollendi*, ergo non hoc pertinet, ratione vero acquirentis servitatem non esse, sed jus, ipse BEIERUS fatetur.

§. VIII.

Ejusdem furfuris, ut nempe vel cum primo, vel cum secundo, vel cum tertio

(a)

(a) Harm. Struvio-Snobel. Diff. VI. ad Th. 22.

(a) principiorum a me §. II. stabilitorum collidant, & sic ne veræ quidem esse possint, sunt plurimæ adhuc aliæ de servitute hac opiniones, quas si cupis apud HILLIGERUM (b) & alios recensitas, hic autem, dictam ob causam, ne nimirum inutilibus opusculum hoc augeatur, non redargutas, invenies. Restat ut de duabus loquar, in se quidem, ut ostendam, etiam a veritate alienis, quæ tamen veræ esse possent, utpote nulli principiorum a me supra deductorum repugnantes, & sic peculiarem tractationem promerentur. Harum una Voëtii, SCHILTERI altera. Voëtius (c) ita sentit: servitutem

(a) Aut etiam cum quarto, ut citata apud HILLIG. l. c. TVRAMINII conjectura, ubi nempe hujusmodi speciem ponit: „Domus A. divisa „inter duos: A. partis inferioris, B. partis su- „perioris dominium. B. altius tollere jure li- „bertatis nequit, &, quia non Dominus solus „est, &, quia servitus oneris ferendi sic im- „poneretur. A. est autam jure servitutis, sic „illud A. ipso pacto vel stipulatione cesserit. Hæc inquam conjectura secundum omnia tria priora servitutis criteria genuina esse posset, sed cum quarta pugnat, nempe cum eo, „ut duo prædia ad servitutem requirantur, in con- trarium ejus TVRAMINIVS de una tantum do- mo loquitur.

(b) Donelli Encl. l. XI. c. V. lit. h.

(c) ad D. Tit. de Serv. §. 6.

tutem hanc in eo consistere, si fingatur expedire prædio meo, ut paries in vicini loco fiat, qui non est; vel ut jam exstructus paries vicini altior sit quam est; & ob id is mibi facultatem tribuat, parietem de novo in suo ædificandi, vel eum qui jam illic est, in usum meum, sumtu meo, ad majorem altitudinem perducendi, removetque in sequentibus lineis objectionem, servitutem hanc & illam oneris ferendi eandem futuram. Bene hæc omnia, & quadrat hæc explicatio in omnia criteria, a me supra proposita. Agitur enim hic de duobus prædiis, servit alterum in utilitatem alterius, tandem non in faciendo consistit servitus, nam impensa Domini dominantis fieri paries is fingitur; Remanet autem una objectio, a Voëtio neque remota, neque certe etiam removenda, nempe verba §. 2. D. de aët. ubi de hac servitute formula talis profertur: *Jus sibi esse, ædes altius tollendi, quod ostendit eam præcise in ædibus fuisse exercitam, in quas quum Voëtii explicatio non quadrat, & hunc autorem in proponenda hac sua, quamvis alias vero simillima, sententia a vera servitutis hujus notione abesse, clarissime elucet.*

§. IX.

§. IX.

Tandem ad SCHILTERVM pervenio, qui exerc. ad D. de Serv. §. 8. fover: *Ius*, ait, *altius tollendi non simpliciter continere servitatem ac per se, quum id jure libertatis cuique competitat, sed cum adjectione & facultate officiendi luminibus vicini.* A quo non abhorreput Marcellum, cui in l. 10. de S. P. V. altius tollendi & luminibus officiendi una sit servitus. Posset, inquam, vera esse & hæc opinio, nam sic exerceceretur 1) a non Domino, nempe a Domino domus B. 2) contra rem alienam, nempe contra domum A, 3) in eo quod prædium serviens aliquid patiatur, nempe id quod ab altera domo, dominante, ejus luminibus officiatur. Non tamen vera est, ut itidem jam dixi, quia legum præsidio destituitur, quod ut, appareat, primo videndum, quid a Marcelllo in l. cit. dicatur. Ejus autem verba sunt sequentia: *Gaurus Marcello: binas ædes habeo, alteras tibi lego, hæres ædes alterus altius tollit & luminibus tuis officit: &c.* Utque breviter contraham, exponit hunc casum, rogasse tunc legetarium, an agere possit ne altius tollat hæres, quia sic domo legata, quæ nimis obscura inde fieret, uti nequiret? Et respondetur quod sic, cum aliqua tamen restrictione. Nemo non

non videt, hic de servitute *altius non tollendi* sermonem esse, non vero de *altius tollendi*, (nam quæstio heredis eadem est, ac si aliis verbis quæreret, num servitutem altius non tollendi ædes suæ in hæredis ædibus haberent?) nec ergo Marcellum hanc altius tollendi servitutem cum ea, ut lumenibus officere quis possit, conjungere. Quoad secundum, libenter tamen vietas SCHILTERO manus traderem, si modo in toto Juris Corpore talis servitutis, *ut lumenibus vicini officiatur*, mentionem alicubi mihi factam ostenderet. Sed quam voluisse set SCHILTERVS cum eo sponzionem inire voluisse, se ne unica quidem vice id in Romanis legibus inventurum. Quæ cum ita sint, & sic opinionis suæ fundamenta corruant, hanc quoque, ut quæ illis fulcitur opinionem, quamvis, post illam Voëtii, inter spurias omnium vero simillimam concideret, par se pater.

§. X.

Remotis ita contrariis opinionibus, ad eam nunc accedo, quam, uti veram esse posse, ex comparatione cum criteriis per facile est cernere, ita & actu veram esse ex Legum consensu probatum me daturum contendō. Est nempe ista servitus meo sensu,
pactum

pactum Domini domus A., cum domino Domus B., ut priori liceat contignationem suis sumtibus domui B. suos in usus superstruere.

Fingas tibi ergo duas ædes. Dominus domus A. eam nimis angustam cernens, simul & non satis firmam, ut contignationem superstruji pateretur; adit vicinum domus B. possessorem, rogans ut sibi liceat, suis sumtibus in domum B. contignationem ædificare. Fingas vicinum precibus his annuere, & pactum his conforme ambos inire; Quale tunc illud erit? Nil certe nisi servitus hæc de qua loquimur, *altius tollendi*. Ita enim altius tolluntur 1) ædes alienæ; hic secundum criterium. 2) a non Domino ita ut is faciat, & Dominus patiatur; En primum & tertium. In utilitatem alterius domus; En etiam quartum. Et hæc est ea, quam PAGENSTECHERVS manip. III. p. 70., & recentius adhuc GASSERVVS (a) defendunt, sententia, quam tamen ex illorum lectione me non haufisse affirmare queo.

(a) Ad Cod. VIII. 10. 200. Quem ob id spissis circa hanc rem ignorantie nebulis obfessum ait SELCHOV. l. c. Sed soletur mæstum ὁ πατερ HEINECCIVS, qui l. c. hanc Pagenstecheri conjectram elegantem compellare non dubitat.

B

queo. Ipse enim talem contractum iniri tentat me 16. annorum adolescente, memini. Quum enim Parens b. m. Vindobonæ nimis angusta habitatione uteretur, vicinum adit, roget ut suis ædibus multo inferioribus contignationem inædificet, quam Parens per portam suo cenaculo jングere posset. Nolenti rursus obtulit beatus Parens, se idem suis sumtibus facturum, modo pati vellet, certum insuper pro concessione pollicendo. Annuit huic vicinus, initumque est pro petito pactum, quamvis postea effectum non habuerit, quum architectus testaretur, fundamenta domus vicini sat firma non esse, quibus superstrui possit. Sed finges hoc non accidisse, finges pactum in effectum deduci potuisse, habuissesque veram nostris temporibus *altius tollendi* servitutem, & quidem in eo quo Jus Romanum de ea loquitur sensu. Alius enim huic verbo sensus esse nequit, quum in nullam aliam explicationem ejus omnia criteria a me adducta tam accurate convenient, quam in eam, quæ hic proponitur. Nisi quis ipsa criteria impugnare velit, quod si cui sint argumenta ad id satis firma, & mei & publici erudiendi causa id faciat opto.

§. XI.

Restat ut objectionem removeam, a non nemine Juris peritissimo viro factam.

Nem-

Nempe, si hæc ponantur, quid tum erit de servitutibus oneris ferendi & tigni im-mittendi? Nihil certe, inquam, quod huic meæ opinioni contrarium esse possit. Et quidem tigni immittendi servitus adeo diver-sa est ab eo casu quem propono, ut vix similitudo quædam intercedat, quum in hac *trabs* ex tuo ædificio in meum transeat, & sic aliquantum de meo ferat; in hoc au-tem supponam totum ædificium tuum, con-tignationem quam ego imponerem unice ferre. Quantum ad servitutem oneris fe-rendi, majoris illius remotio mihi molis futura videtur, ob ipsam denominationem, quia & in meo casu restua onus meum fert.

(a) Sed modo definitionem servitutis hu-jus adspiciamus in §. 1. I. de S. P. V. pro-positam, & videamus an huic meo casui conueniat. Dicitur illic, esse servitutem hanc *jus*, *ædium nostrarum partem vicini parieti aut columnæ imponendi*. An ne hic in casu quem pono, vicini *paries* est vel *co-lumna*? Minime! Totus enim murus undeque, totum ædium vicini fundamen-tum, contignationi quam super impono, servit. An ne hic ædes meæ? Minime rur-sus. Aedes sunt vicini manentque, conti-nuatio mea est, quæ super imponitur. Er-

B 2

go

(a) Quod urget HEINECCIVS ad I. §. 405. not.

niri
me-
do-
tur,
alto
et,
un-
atus
um,
on-
us,
vis
chi-
cini
llsit.
um
que
ser-
na-
uic
am
a
am
uis
cui
&

a
m.
m.-

go plus ineſt huic casui quem ſuppono, quam ambabus hiſce ſervitutibus. Nempe ſic tibi finges totam de ſervitutibus ædificiorum materiam. Aut mihi id tantum juris eſt, quod frequentiſſime obvium, ut, ne ipſe parietem meis ædibus ædificare cogar, totam domum meam ſuſtinentia ligna in vicini parietem poſſim immittere; Aut id quoque confeſſit vicinus, ut columna ſua, vel paries, iſtarum ædium mearum partem ſuſtentat; Aut denique hoc etiam mihi datum, ut tota domus vicini onus a me impoſitum ferat. En tres species, vel tres gradus, hujus revera unius ſervitutis, nempe oneris ferendi, quarum prima tamen vulgari ſervitutis, tigni immittendi, nomine venit; altera vero oneris ferendi, in ſpecie compellatur. Sed quomodo peculiari nomine dicetur id juris, quod in ultima ſpecie ſeu gradu confeſſum, nempe conſignationem integrum ædibus vicini ſuperſtruendi? Non certe ullum in corpore Juris toto nomen pro ea proditum eſſet, niſi altius tollendi dicere velis. Et tamen altius tollantur in ea ædes vicini. Ergo ſit hæc vera ſervitus altius tollendi.

§. XII.

Sed ne ſic quidem confeſta res eſt. Removendi nempe adhuc duo LL. Romano-
rum

rum passus, huic meæ opinioni quam maxime, ut videtur, contrarii. Siquidem obstatre ajunt l. I. pr. D. de S. P. V. cuius verba sic se habent: *Si intercedat solum publicum, vel via publica, neque itineris actusve, neque altius tollendi servitutes impedit.* Obmovet hanc legem HEIN. Inst. §. 405. n. & SELCHOVIVS in cit. Diff. §. 110. hoc uno iectu concidere Pagenstecherianam sententiam arbitratur. (a) Sed priorem horum virorum non recte dissensum in l. hac a Pagenstecheriana opinione querere, posteriorem vero nimium argumento suo tribuere, mihi quidem constare videtur. Quin potius optime omnium pro ea sententia, quæ inde opugnari dicitur, ipsa hæc lex militat. Quærebatur apud JCtos, an servitus altius tollendi per viam aut solum publicum impedi-

B 3 retur?

(a) AVEZANIVS quoque de Servitut. P. III. c. 13. a Selchovio eum in finem allegatus. Sed quum ea, quam is allegat, editione non gaudeam, sane de ejus argumentis aut expositione judicare nequeo. Mea editio nihil aliud de hac servitute h.l. habet, quam sequentia verba: *Idem dicendum de Servitute altius tollendi, quæ nullo incommodo loco publico esse potest; sublati enim ædibus nihil ea res officit, loco publico, quum neque locum publicum attingant, neque cœlum &c.* Quæ si vel magis latine exprimerentur, nihil ad dirimendam de modo hujus servitutis litem facere posse, nemo non videt,

no,
mpe
icio-
juris
ne
gar,
a in
nt id
sua,
rtém
da-
im-
tres
em-
men
omi-
in
ecu-
ulti-
con-
per-
e Ju-
niſi
ltius
hæc

Re-
ano-
rum



retur? Hæc vero quæstio circa servitutem altius tollendi, secundum SELCHOVII ipsius sensum explicatam, ne oriri quidem poterat. Nullum enim secundum hunc autorem & ejus affectas, in hac servitute prædium dominans existit, sed ædes propriæ Domino serviunt. Ergo non nisi una domus, ex ipsa ejus definitione, ad servitatem hanc requiritur. Ut vero intercedat via, necessario saltem domus vel prædia duo adesse debent. Ergo SELCHOVIVS ipse eo modo uti in lege factum, ne quærere quidem potuisset. Fingendus ergo primum casus, secundum legem dabilis, ubi servitus hæc existere poterat, dubium tamen oriebatur, an non ejus constitutio aliunde impediretur. Supponendæ vero, ut intercedere possit via, duæ domus, supponendum porro, quia hic de servitute sermo est, ut una harum sit prædium dominans, altera vero serviens. Ita quæstio legis citatae, aliis verbis exposita, eadem erit ac si dices: an domus in alia domo, quamvis inter eas via publica aut solum publicum intercedat, hanc servitutem altius tollendi habere possit? Notandum primo in hac quæstione ipsa, de via aut solo privato eam ne moveri quidem, quia nempe naturale est, unumquemque servitutem concedere posse, quæ effectum in suum fundum, aut per

per suum fundum, habere queat. Secundo notandum quid respondeat JCtus? nempe, nullo modo impedire per id, servitutes tres de quibus quæstio erat, ergo nec hæc de qua hic loquimur. Evidentissime ergo evictum censes Selchovianum tollendi altius servitutem quæstionis & responsi legalis objectum esse non potuisse. Sed quomodo, dicet aliquis, huic legi PAGENSTECHERI quoque sententia applicari poterit? *Nam cui usui, inquit HEINECCIVS, l. c. Instic., quis alienis ædibus imponeret contignationem ad quam ex suis ædibus accessus baud pateret?* Ita vero respondeamus Viro olim eruditissimo, & laude mea non indigo, esse sane modum quo ex ædibus in ædes accessus, quamvis via intercedat, patere possit; eum nempe, si ex uno domo in alteram per acrem porticus idoneis fulcris munita ducatur. Ipse talem in vicina Wezlarie urbe deprehendi, ex ædibus Rulandi per celebris olim in Camera Imperialis Tribunali Procuratoris in oppositas supra viam publicam deductam. Fingas oppositam hancce domum Caji fuisse, Rulandum vero Cajum adisse, ut sibi permitteret, contignationem ædibus ejus, suos in usus, imponere, Cajum dein hoc concessisse, & sic Pagenstecherianam altius tollendi servitutem constitutam fuisse, nonne per ejusmo-

di porticum, qualis nunc revera existit? Ru-
landus hanc contignationem ædibus suis
jungere, & sic servitute uti poterat? De
simili ergo casu lex loquitur, quærit an hoc
posito vix publica intercedens obstat, quin
similis porticus ædificetur? Responderet,
non obstat! Et sic id ipsum quod contra
me adducitur, pro me, & maxime, loqui,
nemo non videbit.

§. XIII.

Restat §. 2. I. de actionibus, quem
etiam huic meæ opinioni obstat volunt
eruditæ, &c., ut verum fatear, non sine sum-
ma specie volunt. *Eiusdem generis*, dicitur
ibi, (nempe, in rem) est actio de jure præ-
diorum urbanorum, veluti si quis agat jus sibi
esse, altius ædes suas tollendi &c. ex quo col-
ligi solet formulam fuisse: Ajo jus mihi
esse, altius ædes MEAS tollendi: & sic opini-
onem de contignationem ædibus alienis
imponenda per se ipsam concidere. Sed
jam PAGENSTECHERVS l. c. reposuit, conju-
gendum esse hæc verba cit. l. cum sequenti-
bus ejusdem §. quæ sic sonant: tollendi pro-
spiciendive, vel projiciendi aliquid, vel immi-
tendi tignum in vicini ædes; quod si fiat,
etiam hæc verba: ædes suas altius tollendi:
referentur ad ultima §. in vicini ædes; & sic
rursus

rursus eadem verba, apparentur plane opinioni meæ contraria, maxime pro ea facient. Nam quid aliud est; ædes suas in ædes vicini altius tollere, quam contignationem in ejus ædes, cum suisconjunctionam, imponere? Sed hanc solutionem contra omnem latine loquendi usum esse contendit p. 110. Diff. cit. SELCHOVIVS, *quis enim unquam, pergit, veterum dixit, ædes tollere in alterius ædes?* At respondeo, non omnino dici posse omnes locutiones contra Latine loquendi usum esse, quæ non præcisse ita apud veteres inveniuntur. Sufficit substantivum quoddam secundum leges latinæ Grammaticæ in certo casu cum verbo, de quo quæritur, construi posse, & recte cum eo constructetur, quamvis nemo veterum ita forsan antea construxerit. Exemplum dabo. Nemo forsan veterum, vel potius certe, nemo, dixit, *ursum in terra comedere*, quia occasio de hoc loquendi non erat. Nunc vero singas aliquem de Greenlandia aut Nova Zembla sermonem serere velle. Nonne is recte, quia revera sic se habet, diceret, eorum locorum habitatores ursos comedere, & quia mensis careant, eos in terra comedere? Recte sane, quia secundum regulas latinæ grammaticæ sic jungi hæc verba possunt, quamvis nemo veterum actu sic junxerit. Ita recte dicitur, tollere

B 5

ædes

Ru-
suis
De
hoc
uin
et,
tra
qui,em
unt
m-
tur
ræ-
sibi
sol-
ihi
pi-
nis
sed
un-
anti-
ro-
ni-
at,
di:
sic
sus

ædes in ædes; uti recte dicitur tollere ædes in montem, in collem, &c. Quod vero postea addit SELCHOVIVS, *numquam dici possunt ædes meæ, quibus contignatio tantum mea imposita est*, plane non dixisset, si recte PAGENSTECHERI mentem inspicere ei libuisset. Aedes enim, quas PAGENSTECHERVS ita tolli putat, sunt revera ædes meæ, nempe dominantes, sed toluntur, quonam? in ædes alterius. (a)

§. XIV.

Et hæc sunt, quæ de servitute hac adeo controversa monenda duxi. Ex quibus simul elucet, doctrinam de ista non adeo inter antiquitates referendam, ut a pluribus fieri solet, quasi hodie nullus ipsius aut saltem rariissimus sit usus; sed quotidie, rebus dictos

(a) Audebam olim, dum hæc meditabar, antequam PAGENSTECHERVS ipse in manus mihi incideret, (utpote satis raro obvius, & ob id si otium suppetat, a me ipso olim typis de novo tradendus) conjecturam, non quidem codicis alicujus, quod sciam, præsidio fultæ, haud tamen nimis temerarium in §. cit. I. loco ædes suas, unica litera mutata legendi tuas. Sed ipse eam deserui, quum a PAGENSTECHERO meliora, meo quidem sensu, docerer. Placebit tamen forsitan aliive, cui Pagenstecheriana solutio minus arridet.

dicto a me modo contingentibus, de altius tollendi servitute quæstionem oriri & juris civilis de ea principia applicari posse. Quæ vero hic dicta omnia, si cui in totum aut tantum non recte, aut non sufficienter, dicta videantur, placide is aut publice, aut privatim, moneat, melioraque edoceat, veritatis quantumpote & unice amantem. Plures opiniones plane intactasme reliqui & ne recensuisse quidem, quum ex comparatione cum principiis criteriisque §. II. per se cadant, æqui bonique consulant erudit, non quam multa, sed id modo, quum bene dicat, curanti. Eodem referant oro, si multa in SELCHOVIANA Diff., quibus opportunitate jubente opponi quædam a me potuissent, at quæ non directo ad rem faciebant, intacta reliqui. Allegata tandem quam plurima difficile non fuisset congregare, sed iis Lectorem onerare ubi res non poscit, jactatio eruditionis, non vera eruditio, esse videtur.



MEDI-

MEDITATIO II.

ITIDEM IVRIDICA

DE

QVÆST. QVONAM COLLOCANDVS
 SIT IN CONCVRSV CREDITORVM,
 DEPONENS CVIUS DEPOSITVM
 NON EXSTAT?

ad l. 7. §. 2. & 8. Depositii, nec non l. 24.
 de rebus aut jud. possid.

SYLLABVS.

§. I. Propositum autoris. l. 7. §. 2. Dep.
 textus.

§. II. Explicatio verbi *depositarius* in d. l.
 conjectura de emendando textu. Cy-
 JACIUS refellitur.

§. III. & IV. Continuatur d. l. expositio.

§. V. Breves totius legis secundum au-
 toris opinionem argumentum.
 Transitus ad expositionem l. 24. D.
 der. aut. jud. poss.

§. VI.

§. VI. Textus dictæ legis.

§. VII. Sententia GLOSSÆ, de harum
LL. conciliatione.

§. VIII. LAVTERBACHII.

§. IX. STRYKII.

§. X. PACII.

§. XI. Ad Autoris sententiam transitur.

§. XII. Quonam secundum has leges
collocandus deponens re sua adhuc
exstante?

§. XIII. Quonam, si consumta?

§. XIV. Quonam, si pro parte existet,
pro parte non?

§. XV. De harum LL. usu hodierno
disquiritur.

§. XVI. Recapitulatio dictorum brevif-
sima, & conclusio.

§. I.

§. I.

Et de hac quæstione tractationem insti-
tuens supervacanei nihil me facturum
arbitror apud eas qui recti rerum sunt
æstimatores. Quamvis enim communis
pragmaticorum schola eo consentiat, quod
deponens, si non exstet depositum, in
quarta demum classe creditorum locum
poscere queat, & hoc quidem nisi usuras
acceperit; si vero has acceperit cum ceteris
chirographariis sit collocandus; attamen
an hoc secundum veram Juris Romam theo-
riam definitum sit, purioris Jurispruden-
tiæ cultori disquirere licere, hi saltem de
quibus loquor non dubitabunt. Ut vero
absque diverticulo rem ipsam aggredias, se-
des hujus materiæ est in l. 7. §. 2. D. De-
pos. cum l. 24. D. de rebus autor. jud. pos-
fid. alias l. 9. de privil. credit. §. 2. quæ
dum apertissime sibi contradicere videren-
tur, varias Dd. sententias de earum concili-
atione & hinc totidem opiniones circa quæ-
stionem ipsam produxere. Has igitur in-
vestigare, erroneas refellere, justam & le-
gibus consonam stabilire, conatus hic meus,
&, ni fallor, operæ pretium erit. Quod
ut recto tramite fiat, primum utramque le-
gem, ne tædio sit lectori crebra corporis
Juris

Juris evolutio, integrum hic quoad passus concernentes opponere; Dein verum earum sensum eruere, & sic genique de objecto quæstionis, refutatis contrariis opinionibus, conclusionem facere, consultissimum duxi. Prioris verba sic se habent: *Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum, i. e. eorum qui depositas pecunias habuerunt, (non quas fenore apud nummularios, vel cum nummulariis vel per ipsos, exercebant.) Et ante privilegia igitur, si bona vierint, depositariorum ratio habetur, dummodo eorum qui vel postea usuras acceperunt, ratio non habeatur, quasi renunciaverint deposito.*

§. II.

Primum, ut hanc legem recte intelligamus, disquirendum quid per verbum: *depositariorum*: hic sibi velit legis autor VLPIANVS. Nempe secundum usum loquendi, a quo juridicus vocum harum usus non differt,) depositarium ita a deponente distinguentem uti a mandante mandatarium, facilis responsio primo intuitu videtur. Hic vero sensum, legis commodum nullum eruere possumus, nisi per *depositarios*, contra omnem loquendi usum, ipsos *deponentes* intelligere velimus. Dicitur enim in sequenti,

quenti, eorum rationem haberi debere &c., si bona venierint nummulariorum. Ergo ipsi nummularii sunt depositarii vulgato sensu, & hinc qui hic loci sic vocantur necessario ii esse debent, qui deposuerant, non qui deposita receperant. Refragari quidem videntur verba ad declarationem vocis depositariorum addita, nempe, *qui depositas pecunias habuerunt*, nam de regula depositum habere idem est ac si dices, *depositum tenere aut recipere*. Sed notandum, ultimis Romanis imperii seculis in Italia jam invaluisse eum qui nunc quoque in vulgari Italorum lingua obtinet: verborum auxiliorum, sum & habeo, usum, (a) vi cuius phrasis: *depositum habere nihil aliud est quam Germanicum, versetzt haben, aut Italum, aver depositato*. Aliter quoque, & aliquanto minus barbare, haec locutio, sed ut eodem significatio redeat, explicari potest. *Habet enim is qui depositus, id quod depositus, si non actu, tamen mente; id est, in bonis.* Ergo idem esse potest hoc, quamvis minus latine enunciatum, ac si dices: *ratio habenda est eorum quorum sunt pecuniae de-*

(a) Id quod egregie probatum dedit patriæ suæ quondam decres *Scipio MAFFEJVS* veronæ illustratae P. I. in f. cuius paginam allegare defectus ipsius libri, bene alias ex lectione & excerptis mihi noti, vetat.

positæ. Qui vero acciderit ut vox hæc *depositariorum* unica hac in lege (b) aliter quam in omnibus aliis accipiatur, nullibi quod satis illustratum reperi, (c) unde legem

(b) Nam quod *VICATIO* in lex. juris h. i. placet, eam in lege mox integre hic legenda 24. D. de rebus aut. jud. poss. eodem in sensu accipiendam esse, fundamento plane destituitur. Prima enim interpretationis regula hæc fere est, a significatione vocis cuiuscunque non receundum nisi graves caussæ moveant; In l. autem 24. vox. *depositarius* absque omni violencia textui illata, uti ipsa lectio docebit, eum apud quem deposita est pecunia, ipsum nempe *argentarium*, significare potest, a quo, ceu *depositario*, pecunia repetatur seu vindicetur.

(c) Nam quæ *CVJACIVS*, inter primos alias *JCTORUM* merito referendus, eum in finem profert, non magni sunt momenti: Ait nempe in *Papiniano* suo, l. 9. quæst. ad l. 24. depos. *Eodem modo invenio in jure, fideicommissarium, quem sc. Vulgo dicimus pro eo cui relictum est fidei commissum, accipi tamen nonunquam pro herede, & ceu locos probantes adducit l. 51. D. de jud. & nov. 108. c. 2. quibus *VICATIVS* in lex. juris, *Cujacium* sequutus, addit l. 29. D. qu. modis ususfr. l. usus amitt. §. 2. Ait in l. 29. is qui alteri usumfructum restituere debet, non heres est, sed *legatarius*, nam verba legis sunt. *Quærerit Pompanius, si legatum mihi usumfructum rogatus sim tibi restituere, &c.* Legatarii vero multis in locis fideicommissarii dicuntur. Et*

C

quo-

gem ipsam in mendo cubare vero simile est. (d)

§. III.

quovis pacto contendere vellem similem casum Marciano subfuisse dum hæc scriberet ex quibus l. 51. de jud. desumpta est. Nihil enim frequentius erat apud Romanos quam uni legare ita ut alteri ex legato hoc vel illud præstaret. Quoad vero Nov. 108. c. 2. plane erravit CV. JACIVS & qui eum sequuntur. Sermo nempe erat ibidem de jure quod heredi fiduciario competit, quartam sibi de jure competentem ex legatis jam solutis explendi. Sequuntur dein verba: *Unde & cautionem fideicommissarius dabit non minus quartam servare,* (i. e. ut HOMBERGIVS id latinius exponit, se non minus quarta servaturum;) *nisi & ipsam testator remiserit.* Quid hæc verba, quæso, secundum eorum naturam & totum nexum aliud significare queunt, quam ut is qui legatum seu fideicommissum accipit, ergo fideicommissarius in sensu consueto, caveat, se quartam adimum legati, interim ante deductam Trebellianicam accepti, servaturum, in casum nempe si hæres se lœsum inveniat, ut is quartam suam inde supplere possit. Sed, demus etiam CV. JACIO fidei commissarium hic esse ipsum heredem, ita certe latina lingua non adversante dici posset, quia fidei ejus aliquid committitur, uti mandatarius^{is} cui aliquid mandatur. Sed nunquam mandatarius dicetur is qui mandavit, nec fideicommissarius is qui fideicommittit.

(d) Nempe si mihi dicendum sit, quid revera de hac voce, hic loci tam inconsueto modo usurpata,

§. III.

De his depositariis, vel si mavis depositaribus, lex ait: eorum *primo loco* rationem habēdam quoties foro cedant nummularii. Quid ergo illud sibi vult primo loco? Non opus certe est ut *primum* grammaticē explicatum hic tradam. Omnia enim consensu is *primus* dicitur, quem nemō alijs antecedit. Quum vero prima in-

C 2

ter-

pata, sentiam, duo syllabæ *ari* abundare mihi videntur, quibus ejectis remanet *depositorum*, ut sit genitivus pluralis vocis *depositor*, quæ apud ipsum Ulpianum legis hujus autorem in l. I. Dep. deponentem notat, & sic bene ad sensum quadrat. Accidisse nimirum & huic legi reor, quod veterum scriptis innumeris in locis accidit, ut nempe oscitantis aut scioli descriptoris culpa vox ignotior, qualis hic est *depositorum*, utpote ab Ulpiano solo, quod sciam, pro deponentibus adhibita in magis notam qualis est *depositariorum* ab eo mutaretur. Eodem fere modo, quo in l. 9. C Depos. vox ignotior *commendati* in notiorem *commodati* mutatam esse jam dudum observarunt JCti. Scio conjecturam a me hic tentatam nec Codicum autoritate, nec JCtorum mihi saltem cognitorum suffragiis falsari. Quum tamen in se nimium audax haud sit, nec analogia destituatur, demum sensum legis commodius ac vulgata lectio explicet, eam non plane adsperrnaturos fore eruditos, est quod confidam.

ile
III.
sum
qui-
fre-
gare
ret.
CV-
npe
om-
k le-
lein
da-
OM-
nus
emi-
um
nifi-
dei-
in
ini-
llia-
npe
nam
CV-
ere-
dici
uti
Sed
vit,

de
fur-
ta,

terpretationes sit regula omnes voces tamdiu in sensu grammatico originario & conuerso accipere donec non levis causa aliud suadeat; quum porro usus loquendi juridicus quoad vocem hanc ob vulgata non discrepet, planissima certe legis sententia erit, nempe ejus qui pecuniam deposuerit, si debitor foro cedat, ante omnes alios creditores rationem habendam, vel neminem creditorum eum antecedere.

§. IV.

Pergit lex his verbis: *non vero, quas fænore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipsos, exercebant.* Arcentur ergo hic a privilegiis depositi omnes pecuniae, quibus quocunque modo fænus, intercedente nummulario, exercetur. Triplex vero hic species proponitur, quomo^ddo fænus interveniente hoc hominum generi exerceri possit. Nimirum 1) *Apud nummularias*, quod sic explico, ubi quis istis ita pecuniam suam crederet, ut erga annuam quandam pensionem eorum libere suos in usus converteret. 2) *Cum ipsis*, id est, ubi pecunia ita iis data, ut lucri ex eorum & dantis pecunia provenientis particeps hic fiat. 3) *Per ipsos*, h. e. ubi numi ea lege sunt dati, ut nummularius, qui melius ceteris

teris rationem optime elocandorum eorum sciret, eos in utilitatem domini, procul dubio erga certum a domino ipsi præstandum, locaret. Ita saltem mihi casus ejusmodi omnes ex ratione possibilitatis & significatu grammatico vocularum *apud*, *cum* & *per* ipso fingere opus habui, quum nuspia ita enodatos invenire contingeret. Omnibus vero hisce modis data nummulario pecunia, ejus privilegii, quod deposito concessum, incapax hic declaratur. Ratio in l. 24. §. 2. de reb. aut. jud. poss. *aliud est credere, aliud deponere*, de qua infra. Quod ergo depositum non est, nec privilegiis depositi gaudere potest. Exigebant autem peculiarem ea de re dispositionem fraudes facile cogitandæ, ut nempe aliquando pecunia uno ex tribus dictis modis credita depositi nomen mentiretur, *tertia maxime*, utpote ipsi non omnimodo dissimilis sequitur in lege prius dictorum ampliatio: *Et ante privilegia igitur, si bona venierint, depositariorum ratio habetur.* Dubium nimurum oriri poterat an id quod in principio dictum, primo loco depositi rationem habendam, etiam depositori jus dare debeat contra debitores alias privilegium habentes? (a)

C 3

Hoc

(a) Privilegia creditorum duplia esse, nemo est qui ignorat. Alii enim personaliter tantum sunt

Hoc ergo affirmative deciditur. Finem tandem §. facit totius propositionis limitatio, dummodo eorum qui vel postea usuras acceperunt ratio non habeatur. Dari nempe poterat casus, ut pecunia initio quidem simpliciter deposita nummulario ex post ad suum usum concederetur, & sic pro hac concessione ab ipso usuræ darentur, quo casu jure quærebatur an adhuc ceu depositum an vero ceu pecunia in fœnus credita considerari debeat. Id ergo negative deciditur. Additur causa, videri quasi hoc causa renunciaverit creditor deposito.

§. V.

Ex prædictis integer legis nostræ sensus talis esse videtur. Si foro cedat nummularius, eos qui pecunias apud eum deposuerunt omnium creditorum primos esse, & quidem adeo absque restrictione ut etiam iis qui alias per privilegia omnes hypothecas

sunt privilegiati, alii & realiter, nempe hypothecarii. De utrisque hic sermonem esse, ego quidem donec probetur contrarium, persuasum habeo, quia non distinguit lex, sed generaliter loquitur; ubi vero lex non distinguit, nec nostrum est distinguere, secundum notissimam juris regulam ex generalibus interpretationis principiis repetitam.

cas antecedunt, sint præferendi. Hoc autem privilegium amplius non valere simulac inveniatur deponentem ex post pecuniam depositam nummulario in fenus credidisse, & exinde usuras cepisse; multo minus illud ad eam pecuniam pertinere quæ ab initio nummulario eum in finem data sit, ut fenus vel per ipsum vel cum ipso inde exerceatur. Cur tamen post tam Distinctam legis decisionem in alia omnia abeant tot clari legam interpretes, adeo ut vel in quarta Classi demum depositoribus locum assignent? causam moventem sequens §. explanabit.

§. VI.

Obstare nempe huic legis decisioni videtur alia lex, ea nempe quam cum modo exposita supra §. 2. sedem hujus quæstionis dixi, l. 24. de rebus aut. jud. poss. Ergo & eam, quoad hoc facit, celerioris obtutus causa integrum subjungere necesserit: Sic vero se habet §. 2. *In bonis mensulariis vendendis post privilegia potiorem causam eorum esse placuit, qui pecunias apud mensam, fidem publicam sequanti, deposuerunt. Sed enim qui depositis nummis usuras a mensulariis accepérunt a ceteris creditoribus non separantur, & merito, aliud enim est credere aliud depōnere. Si tamen nummi exstant, vindicari eos*

*eos posse puto a depositariis, & futurum eum
qui vindicat ante privilegia. In qualege ver-
ba: post privilegia causam eorum potiorem
esse placuit &c. Adversis frontibus primo
obtuta pugnare videntur cum legis 7. Dep.
§. 2. verbis antea expositis: ante privilegia
&c. quæ dum sibi invicem conciliare tenta-
rent LL. interpretes in diversas de quibus
§. 1. sermo fuit, & quas nunc amplius ex-
ponere pretium erit, sententias inciderunt.*

§. VII.

Et **Glossa** quidem, nam ab ea incipere
& temporis ordo & insignis ejus ac fere
legalis apud veteres auctoritas postulat, ad
I. 24. dictam plane l. 7. §. 2. Dep. adhæret,
I. 24. autem ita solvit: *Die hic: post pri-
vilegia, i. e. postquam facta lex est que dat
privilegium deponentibus; vel post privilegia,
sc. quedam, ceu post funerariam, ut supra
de religiosis l. penultima, vel sol. ut ibi vel
post positis privilegiis.* Quorum primam &
tertiam solutionem mera deliramenta esse
nemo non videt, quum prima toti verbo-
rum in §. cit. nexui, tertia vero & ipsi lati-
nitati repugnet. Secunda vero in textu
nullo modo fundatur, non enim dicitur
post quedam privilegia, sed absque limi-
tatione, post privilegia. Ea vero solutio
ad

ad quam remitt. Glossa l. c. ex lege 45. D.
de Relig. sequens est. Dicitur in modo cit.
l. impensam funeris omne creditum præce-
dere, ad hoc Glossa. forte loquita de cre-
dito quod sine pignore debetur, quum credito-
res habentes pignora præponantur privil. per-
sonalium actionum &c. Dum ergo ad hanc
solutionem remittit GLOSSA, indicare vult,
etiam hic nempe in l. 24. uti & in l. 7. non
nisi de iis creditis sermonem esse quæ abs-
que pignore debentur, & sic deponentes
non nisi personaliter privilegiatis anteponi.
Quo & itidem tendit, quod ad l. 7. Dep.
& verba, depositariorum ratio habetur notat
Glossa: Obstat, de privilegiis cred. l. si ven-
tri s. in bonis. Sol. hic res depositæ exstabant,
ibi non, quod non placet, vel amittuntur ante
privilegia personalia, sed post realia &c. Et
hæc quidem sunt quæ GLOSSA ad leges
hasce, contraria sibi invicem, non cohæ-
rentia; ex parte quoque satis absurdâ in
medium, absque illa decisione addita,
profert. Ut ergo nihil plane ex ea colligi
possit, nec saltim ob harum legum exposi-
tionem meruerit Glossæ Auctor Accvrsvis
magnificentissimum illud tribus hexametris
constans elogium a Pocciantio relatum, (a)

C 5 quod-

(a) In libro, minus, quod sciam, in Germania
noto, quod inscribitur MICH. POCCIANTII Ca-
talo-

quodque insigne specimen quantum non-nunquam encomia exaggerari soleant, integrum opponere hic liceat:

*Jurisconsultos interpres Acursius omnes
Præcellit, brevibusque notis ænigmata revum
Exponit, nullusque error reperitur in illis.*

§. VIII.

Relicta ergo GLOSSA alias Dd. opinio-
nes videamus. Et LAUTERBACHIVS quidem
(a) inter privilegiarios qui tantum perso-
nale privilegium habeant, l. 9. C. qui post.
in pign. primo loco refert, *deponentem cu-
jus depositum non est amplius in bonis deposi-
tarii* (l. 7. §. 2. Dep.) *nisi usuras propterea*
percepit, tunc enim ab aliis creditoribus non
separatur. Si tamen usuras non percepit &
ufsum depositario concessit-tum nudis tantum
Chirographariis præfertur, postponitur autem
privilegiatis simpliciter l. 24. §. 2. de I. aut.
jud.

atalogus Script. Florentinorum quorum memo-
ria exstat florentiae 1589. scriptores omnis ge-
neris secundum ordinem prænomium recen-
fente.

(a) In Comp. ad Tit. de privil. cred. consentit
Cocc. f. Contr. ad tit. depos. quæst. 15. BER-
GER Resol. cod. qui 8. &c.

jud. Ita LAVTERBACHIVS, ut ergo in l. 7. & 24. verbum *privilegium* & *privilegiarii* ad personalia privilegia tantum trahat. Sane id fieri necesse est, quo doctrinæ huic fundamentum inveniatur. Quod suppositum si aliunde probare possent, aut si illud ex ipso rerum verborumque nexu pateret, libenter manus darem. Nusquam autem hoc probatum legi. Donec vero hæc probatio desit, ego quidem ex ratione supra allegata (§. V.) per privilegia, in utroque, loco ambo eorum genera, nempe tam realia quam personalia, intelligo. (a) Aut hoc saltem mihi probent ejusdem sententiæ fautores, in dubio in corpore juris, & *κατέζοχν* quasi, perprivilegia, ubi nihil additum, minora, nempe personalia, intelligi. Quamdiu vero ne hoc quidem probatum dederint, ignoscant quæso mihi diutius eorum placitis non immoraturo. (b)

§. IX.

(a) Idem mecum agit GOTHOFREDVS in notis ad h. l.

(b) Nam l. 9. C. qui potiores in pignore, quæ a LAVTERBACHIO huc trahi videtur, ait, *eos qui acceperint piguora, quum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus quæ personalibus actionibus competunt, preferendos esse*; non vero Syllaba *expressæ ibi de eo occurrit, quod per privilegia.*

§. IX.

Alii Dd. in eam sententiam abeunt, ut distinguant inter rem depositam existantem & consumtam; priori casu ante omnia privilegia eam esse admittentes, posteriori vero post personalia demum; de primo casu loqui putantes l. 7. §. 2. Dep. de secundo vero l. 24. (a) Sed & hos mihi licitum sit interrogare, unde hanc distinctionem hauferint? In legis utriusque verbis sane ne syllaba quidem de ea reperienda. Ergo, uti jam supra dictum, ubi lex non distinguit, nec nostrum est distinguere. At forsitan ex nexu verborum patebit, ita esse distinguendum! Minime! Contra, l. 7. de casu loquitur, ubi in bonis vendendis *ratio* sit habenda depositoris, l. vero 24. de casu ubi in bonis vendendis *causa* dependentis *potior* esse debeat. Ergo diserte utraque non loquitur de casu ubi depositum adhuc existat, nam tunc non *ratio* habetur

haec citon mi erga dicitur et hoc nunc mebi ejus

giarios *solum* personaliter privilegiati sint intellegendi. Nec tacite ibi dum aliquid de privilegiis actionum personalium afferitur, negari dici potest, quin etiam dentur realia actionum privilegia.

(a) Ita STRYKIVS V. M. tit. depos. §. II. CVJAEIVS ad Papin. quæst. lib. 9. in l. 8. Dep.

ejus in bonis vendendis, non quæritur, an *causa* ejus *potior* sit? sed vindicatur depositum, ubi & in d. l. 24. disertis verbis deciditur. Ergo hæc quoque distinctio perse corruit.

§. X.

Nec desunt qui distinguant secundum genus actionis, ita ut si quis rei vind. agat, iis præferatur, qui personaliter sunt privilegiati, contra vero, si depositi. (a) At hæc distinctio primum, omnes casus minime complectitur, sed hunc tantum ubi depositi actio cum vindicatione concurrit, nempe si res adhuc exstat. Hoc vero in casu secundo falsum tamen decisum mihi videtur, nam in petitionibus privilegiatis perinde est quanam actione petantur, uti exemplo funerariæ certum ex l. 17. D. de I. aut. jud. poss. ubi *parvique*, inquit Ulpianus, *refert qua actione hic sumptus repetatur,*
fune-

(a) Ea opinio est PACII Enantioph. Cent. IV. n. 79. dum ait. *Is qui depositus & rei vind. & depositi actionem personalem habet: ita distinguendum est, ut si in rem agat præferatur privilegiis personalibus, sin depositi agat, eisdem postponatur.* Quem sequitur FORNERIVS 3. select. 8. apud Ottонem in Thes. T. II. p. 90. ANT. FABER de error. pragm. II. 2.

*funeraria, an familie herciscundæ, an alia,
dummodo sumtus funeris causa sit.*

§. XI.

Mihi vero, post positis omnibus hisce sententiis a me hucusque recensitis, utpote legum verbis ac sensui contrariis, distingueri primo videntur plures modi quibus pecunia apud mensularium deponi possit. Deponi nempe potest pecunia apud mensularium 1) ceu apud unumquemque alium, i. e. obsignata vel cistæ inclusa eum in finem ut eadem corpora poscenti reddantur. 2) Ita ut *apud mensam* deponatur, b. e. ita ut is ea ad mensam suam uti possit, & poscenti non corpora eadem, sed eundem modo quantitatem reddat, (a) ultimum horum rursus duplici modo fieri potest, vel ita ut usuras inde accipiat deponens vel non. His vero omnibus modis rite a se distinctis deinceps quærendum an depositum adhuc exstet nec ne? Ita rem si aggrediamur facillime leges duo quæstionis, tam adversis frontibus inter se pugnare visæ, inter se erunt conciliandæ. Ergo primum de casu si depositum adhuc exstet, disquirendum.

§. XII.

(a) Ut illud recte exponitur in C. I. ARG. ad tit.
de r. aut. jud. poss. th. 37. n. 5.

§. XII.

Hoc sane in casu, ubi nempe I. adhuc exstat pecunia obsignata vel clausa uti tradita est, vel in genera ita ut a domino cognosci possit, si juris principia generalia imo & ipsam fere rerum naturam sequamur, deponens ante omnes alios creditores erit. Nam ex ipsa rerum natura ortum sane notissimum illud, ubi rem meam invenio, ibi vindico; quod quum in casu depositi, nullibi abrogatum sit in eo quoque locum habet, imo magis adhuc ob magnam depositi apud Romanos sanctitatem. Unicum dubium oriri poterat, an & ei qui pecuniæ suæ simpliciter quidem initio apud mensularium depositæ, postea tamen usuras acceperint, eodem jure gaudere debeant? Ea ergo lege speciali decidenda erat quæstio, & deciditur, quod sic, in l. 24. cit. *verbis*, si tamen nimis exstat eos vindicari posse puto, & futurum eum qui vindicat ante privilegia. Ratio dubitandi exinde procul dubio desumpta erat, qui usuris acceptas quodam modo contractus depositi in mutuum, & sic rem depositam in alterius dominium, transisse videri poterat. Ratio vero decidendi, inde procul dubio petita, quod æquius videtur ubi res adhuc ipsa exstaret, principale quod gestum erat, nempe nudam deposi-

tio-

tionem, quam accessorium ex post super-
veniens nempe usuras data acceptasque spe-
ctare, qua consideratione, ute pote quum
dominium translatum non putaretur, pecu-
nia semper vi indicationi obnoxia manebat.

§. XIII.

*Si vero II. non existent amplius munimi,
non uno eodemque modo res a legibus de-
ciditur. Distinguunt nempe leges, ea
quam supra §. XI. proposui ratione, tres
casus: 1) an quis deposuerit simpliciter
apud nummularium, i. e. apud ipsum nulla
mentione de mensa injecta, (a) & tunc re-
spondetur in lege 7. Dep. §. 2. quoties foro
cedunt nummularii, solet primo loco ratio
haberi depositariorum. Sed, ne quis patet
eam loqui de omnibus depositoribus, limi-
tatio additur, hoc est eorum, qui depositas
pecunias habuerunt non quas fænore exercebant,
i. e. aliis verbis, qui depositum regulare,
ubi eadem corpora poscenti redduntur,
contraxerunt. Et horum ratio habetur
etiam*

(a) Ut dici potest, *apud quæstorem*, nempe apud
ipsum, absque respectu ad ærarium cui præst,
vel *apud mercatorem*, absque respectu ad taber-
nam suam mercatoriam.

etiam ante privilegia. (a) Si vero usuras acceperint, tunc eorum ratio nulla habetur, quia videntur renunciaisse deposito. Et de hoc depositi genere ergo intelligenda omnia quæ ad l. 7. supra de deposito, nulla distinctione addita, dicta reperies. Ponas vero 2) ut quis pecuniam suam *apud mensam* deposuerit (v. supra §. 11.) tunc decisio ex l. 24. petenda, & quidem a) si absque usuris, *tunc post privilegia potiorem ejus esse causam placuit.* Et quidem post omnia privilegia absque distinctione (b) per dicta §. IV. nota, etiam personalia, i. e. post quartam creditorum classem, si cum practicis loqui volumus, ut ergo solis chirographariis anteferantur; vel b) *si usuras de depositis nummis acceperit, tunc a ceteris creditoribus non separatur,* i. e. a chirographariis, & cum eis eodem quo ceteri modo colloca-tur,

(a) Non tamen omnino primo loco: præcedit enim funeris impensa uti omnem actionem per notoria, ita & eam quæ de deposito instituitur.

(b) Hic de omnibus privilegiis sermonem esse unanimiter agnoscunt Doctores. Hoc quidem recte, quia & hic lex generaliter absque distinctione loquitur. Sed cur non idem, nempe de omnibus privilegiis legem loqui, iidem Dd. in l. 7. Depos. concedere volunt? ubi eadem ratio qua-drat.

D

tur, additur ratio, aliud enim est credere aliud deponere. Nam depositum cuius usūræ accipiuntur, censetur privilegium suum amisisse & in creditum transmutatum esse, uti & ex l. 7. §. 2. Dep. patet, cum exceptione tamen §. XII, in fine proposita.

§. XIV.

Dari vero & III. casus potest, ut depositum pro parte exstet pro parte non. De hoc quid juris? Et de eo quidem l. 7. Dep. non ipsa disponit, disponit tamen quod idem est, proxime subsequens, & præcedenti arctissime per verbum, *quod, juncta l. 8. eodem: Quod privilegium, ait lex, (id nempe, ut is qui apud nummularium pecuniam deposuerat ante privilegia sit;) exercetur non in ea tantum quantitate quæ in bonis argentarii ex pecunia deposita reperta est, (in hac enim depositarium reliquis creditoribus per se præferri ex rerum natura patet,) sed in omnibus fraudatoris facultatibus, &c.* En summum depositi apud Romanos favorem! Quories ubicunque vel pars tantum depositi adhuc exstat, ibi totum privilegio partis adhuc existantis gaudere debet, i. e. ante privilegia ratio ejus haberi.

§. XV.

§. XV.

Et sic, meo quidem sensu, leges has, invicem sibi adeo contrarias a plerisque Dd. habitas, atque hinc tot interpretationibus vexatas, ita expositas habebis B. L. ut & antinomia plane exsulet, & hermenevitæ regulæ serventur, & magnus depositi apud Romanos favor non negligatur, quorum duo ultima a Dd. fere in totum postposita videre licebit. Restat ut de hodierno legum harum usu quæ opus est differam, & dicta præcedentium brevissimis verbis in unum cogam, ut, quo quodlibet depositi genus in concursu creditorum mea sententia sit collocandum? uno obtutu patescat. Et quidem quantum ad l. 7. Dep. connexamque l. 8. ibid. quin regulam quoad depositum ordinarium in genere contineat, mihi quidem dubium non est per ea quæ §. 13. dicta sunt. Nam si verum est ibi nummularium absque respectu ad mensam suam accipi, tunc quod de eo statuitur, etiam erga quemcunque alium apud quem pecunia deponitur valere, non est quod dubitemus. Lex vero 24. de r. aut jud. etiam, quoties de eo qui apud mensam argentarii (eines Wechselers) depositus, usum habere poterit. Scio legem non de argentariis proprie sed de mensulariis loqui, quos ab illis recte distinguit

D 2

guit SIGONIVS. (a) Mihi tamen ratio quæ additur hujus dispositionis, nempe fides publica, quam secuti sint apud mensam deponentes, & quæ tunc temporis non nisi de mensulariis, id est, qui publicas rationes exercebant, valebat, non vero de iis qui privatas, i. e., argentariis, hodie ad argentarios nostros utique pertinere, quum & cum iis contrahens, postquam ubique fere locorum res cambialis seu argentaria constitutionibus Principis aut Reipublicæ exactissime sit determinata, & quasi negotium publicum habeatur, quodam modo fidem publicam secutus, dici queat. Et propter magnam depositi favorem in genere dispositionem ad omnia deposita in regularia per arg. legis trahi posse, cum vulgo Dd. existimo. (b)

§. XVI.

Ergo, ut omnia superiorum §. dicta breviter in memoriam revocem:

I. Si depositum exstat,

A. vindicari illud poterit, etiamsi

B.

(a) De jure civium Rom. l. II. c. II.

(b) Mecum sentit PAGENSTECHERVS Sicil. Manip.
II. p. 98.

B. usuras inde quis sit stipulatus.

II. Si non amplius exstet, & res deposita sit.

A. Regulariter, i. e. ut eadem corpora restituentur a depositario, tunc ei primus in concursu creditorum post funerariam locus in prima classi competit, vel

B. irregulariter, nempe ut alia corpora finito tempore depositi reddantur, & quidem a) absque usuris, tunc omnibus privilegiis postponitur, præcedit vero non privilegiata credita, ergo inter IV. & quintam classem locum habebit, vel b) cum usurarum stipulatione, tunc a chirographariis non distinguetur.

III. Si pars depositi exstet, pars vero non, tunc existans pars vindicari, non existans in prima classe loco secundo peti poterit. (a)

D 3

Et

(a) Mecum in hac expositione ambarum legum facere gaudeo Tim. FABRVM I. ann. 7. & MÆJRVM in. C. I. A. ad tit. depositi th. 17. n. 8. quamvis ultimus horum ad tit. de r. aut. jud. th.

Et hæc sunt quæ circa totam hanc quæstionem legesque ejus sedes prelo non indigna mihi visa sunt meditata. Occasio quidem fuisset plura, de argentariis nummulariisque veterum, de magno depositi apud Romanos favore in genere, de aliis Dd. circa hanc rem opinionibus &c. disserendi, plures hanc vel illum in partem sentientes allegandi, demum dissentientes prolixius refellendi. Consultius tamen, non nisi necessaria & ad explicationem legum proprius tendentia in medium proferre, ne in nimiam molem abs re disquisitio hæc excrescat, duxi, placidum inde eruditorum judicium exspectans, amicam quoque reprehensionem nunquam detrectaturus.

th. 37. tamen depositum regulare consumtum repenteri quintum demum in prima creditorum classe locum adsignet, quod cur fecerit, quem diserte ei primus in l. 7. locus tribuatur, mihi quidem ignotum esse fateor. V. & BEVTHER, de jur. prælationis c. 14.

MEDI:

MEDITATIO III.

EAQVE HISTORICA

DE

NOMINIBVS TESTIVM CVM IMPE-
RATORE FRIDERICO I. PACEM
CONSTANTIÆ SVBSCRI-
BENTIVM.

§. I.

Quæcunque ad historiam Germaniæ no-
stræ illustriumque in ea familiarum
facere possunt aut id posse videntur,
attentione uniuscujusque eruditæ patriam
suam amantis digna esse, nemo erit qui
negaverit. Huc vero & inquisitionem in
eorum qui pacem constantiæ una cum Im-
peratore Frid. I. subscripserunt nomina,
quamvis prouti nunc in vulgatis Corporis
Juris editionibus leguntur, Itala potius
imo barbara sonent, jure accensendam
esse, res ipsa, Friderici nempe Imperatoris
consortium, & me plures jam ante annos,
& multos antea eruditorum procul dubio,

D 4

admo-

admonuit. Sed quinam illustres ejus temporis viri sub hisce, sono tam parum Germanis nominibus lateant? perquirere, nemini hucusque, quod sciam, tentatum est. Mihi ergo, non ingrati quid civibus meis inde facturum confidens, ea, quantum pote saltem, per opellam hanc in luce ponere consultum visum est. Ne vero B. lectori tædio sit ipsum Juris corpus, ad sciendum de quibus personis in specie hic sermo sit futurus, evolvere, subscriptionem integrum, prout nunc legitur hic subjicio. Est vero talis:

Hi autem sunt principes & nobiles curiæ qui præscriptam pacem & concordiam per se firmam tenere juraverunt: Hermannus Monaster. episcopus, Henricus Ciriensis electus, Citalinus Curiensis, Abbas Gotifredus Imperialis aulæ Cancellarius, Otto Dux Bavariæ, Fridericus Dux Sunormæ, filius noster Bertoldus Dux Zermæz, Bertoldus Marchio Histriæ, Hermannus Marchio Veron. Comes Henricus Dux Spleten. Comes Theopodus de Lexchomienda. Comes Ludovicus, frater Cancellarii de Olfestre, Roldulfus Camerarius, Guarnerius de Lombardia, Cano de Minabere, Conradus Pincerna.

Vitiosa hic quædam esse, nemini non subolebit. Quis enim, Germanicæ historiæ vel paululum peritus, tolerabit e. g. Bertoldum ducem Zærmæz, & eundem Friderici I. Imperatoris filium. Sed & alia *omnia* nomina hic occurrentia Germanica esse, & quibus e familiis viros indigitent? mihi saltem assequi nunquam fors datum fuisset, nisi Vir de antiquitate & historia Italiæ tantopere meritus LVD. ANT. MVRATORIVS (a) & totum Pacis Constantiæ instrumentum, multis in locis vulgatæ editionis sat male cohærens, ubique a mendis purgatum & in primis hunc locum ita edidisset ut Germanica in omnibus nomina patescant. Eo ergo duce rem aggrediar, ita tamen ut simul nec ab eo quoque restitutum textum pro plane genuino habendum esse demonstrem. Sunt ergo se hic subscribentes, eo ordine atque modo quo dicto in loco recensentur, & ita ut unicuique peculiaris §. tribuatur.

§. II.

I. HERMANNVS *Monasteriensis Episcopus.*

Jam in ipso principio locus hic mendo-
sus esset, si fides haberi posset BVCELINO,
D s Germ.

(a) *Antiquit. Tom. IV. Diff. 48.*

Germ. sacra, p. 27. (ed. Aug. Vind. 1655.
f.) WERNERVVM h. a. non HERMANNVM Mo-
nasteriensi ecclesiæ præfuisse afferenti. Sed,
ut taceam ad unum omnia MSS. apud MV-
RATORIVM ita habere, HERMANNVS Episco-
pus Monasteriensis ceu testis occurrit apud
HONTHEIM. Hist. Telvir. T. I. p. 612. in
dipl. Friderici I. Imp. de a. 1182. itidem
apud LEHMANN. Spir. Chron. L. V. c. 64.
in dipl. de eodem anno. Quin & Frideri-
cum I. in terram sanctam ao. 1189. comita-
tus est. PISTORII Scrr. T. I. p. 430. a. 1189.
Et quo res vel de ipso anno pacis hujus
confectæ extra dubium ponatur, a. 1183.
ceu Commissarius idem appareret apud GV-
DENVM Cod. Dipl. T. I. p. 283. Ut ergo
intrepide BVCELINVM h. l. non vera retu-
lisce, & sic textum mendo non cubare asse-
rere queam.

§. III.

II. HENRICVS CIRNENSIS Electus.

Loco CIRNENSIS in MURATORIANA editione
legitur CRACIENSIS. Sed nec CIRNENSEM nec
CRACIENSEM episcopum mihi saltem in tota
Germania Italiave deprehendere licuit.
Quum vero post hunc instrumento pacis
nostro sequatur, CITALINUS CURIENSIS, Episco-
pus

pus autem Curiensis non *Citalinus* tunc temporis sed HENRICVS dicebatur, teste Bvcelino l. c. p. 3. ego quidem hic ita legendum conjicere audeo: *Henricus Curiensis Episcopus.*

§. IV.

III. CITALINVS *Curiensis.*

Muratoriana editio loco *Citalinus Curiensis*, *Abbas Gotifredus &c.* ita legit: *Thitelmus Augiensis, Abbas, Godofredus &c.* Et sane præferenda est hæc lectio. Erat enim tunc temporis Thitelmus quidam, natus B. de Wyssenburg e Cleggoja dominus in Krenkingen, Abbatiae Augiensi, i. e. Reichenau, apud Lacum Constantiensem, præfectus, postea Hermanni in Episcopatu Constantiensi successor, prout videre est apud JAC. MANLIVM Constant. Chron. in PISTOR. Scrr. T. III. p. 744.

§. V.

IV. *Abbas GOTIFREDVS Imperialis aulæ Cancellarius.*

Persona ipsa notissima, & ab ao. 1166. ad 1188. in diplomatibus occurrit, notante PEEFF. Vitr. ill. I, p. 1090, post quem tam

men Chron. Gottwic. p. 384. eum adhuc anno 1189. signasse observat. Sed quanam ex gente progenitus fuerit, magna inter eruditos disceptatio est. Dicti Chronicorum autor inter varios Episcopos ejus nominis tunc temporis viventes ambigit, Aquilegiensem nempe, Traiectensem, Ratisbonensem, Vitembergensem, Viterbiensem, & Terbipolensem. Sed ubique elogio Abbatis quod ipsi adjungitur impediri se fatetur idem Autor, quod secundum meam opinionem supra declaratam non amplius obstat. HVNDIVS Metrop. I. p. 133. ab Episcopo Ratisbonensi & scriptore Chronicorum diversum non putat. MALLINKROTHVS de Cancellariis, apud WENKER. collectis Archivi & Cancell. jur. p. 341. non asserere dubitat eum ex gente de Risenberg nobilem fuisse, posteaque Episcopum Herbipolensem factum. at hoc nullis probationibus additis. Sed hic loci disertis verbis dicitur adfuisse paci Ludovicum fratrem Cancellarii de Olfestre. Habemus ergo nomen ejus gentilitium, quamvis corruptum, uti paulo inferius legendum agit. Qui vero totum hoc solertissimum Chron. Autorem fugerit? ignoro.

§. VI.

§. VI.

V. OTTO DUX BAVARIAE.

Notissimum est eum e gente *Wittelsbachiorum* natum & anno 1181, ab Imp. FRIDERICO I. dejecto Henrico Leone, Ducatu Bavariae ornatum fuisse. Ut ergo de eo amplius loquar ratio instituti mei non postulat.

§. VII.

VI. FRIDERICVS DUX SUNORMÆ.

Satis Italus vocis *Sunormæ* sonus, &, ni fallor, talem ducatum in Sicilia adhuc existere, alicubi aut legi aut auribus accepi. Meræ ergo conjecturæ, ex vicinia ducis Bavariae in instrumento ipso, & ex sequentibus vocibus *filius noster*, quæ ad nullum Bertholdum referre se possunt, sumendæ, locus, erat hic FRIDERICVM, Sueviæ ducem significari, & sic dicta verba, *filius noster*, quæ cum Bertholdo Zærmæz conjuncta sunt, ad hujus, nempe Friderici nomen referenda. Sed conjectura hoc mera erat donec *Muratoriana* editio oculis obvenit, quæ disertis verbis ita legit: *Fridericus Dux Sueviæ, filius noster.*

§. VIII.

§. VIII.

VII. BERTOLDVS Dux Zærmæz.

Unicuique historiæ ejus temporis notitia non destituto facile in mentem veniet, hæclegendō, Ducem Zaringensem hic significari, & literam *m* verbi Zærmæz ex *i* & *in*, o ex deleta magnam in partem temporis lapsu litera *g*, z denique ex modo terminationem *ensis* tunc temporis solito abbreviandi, exorta esse. Ita & mihi suboluerat, cui hæc cogitanti auxilio hic quoque venit Muratoriana editio; *Bertholdus Dux de Zæringen*: hic legens. Est vero hic ejus nominis IV. anno 1186. defunotus 8. Sept. secundum *Oetterum Samml. versch. Nachr.* T. I. p. 395.

§. IX.

VIII. BERTOLDVS Marchio Istriæ.

BERTHOLDVS Dux Dalmatiæ, Marchio Istriæ signavit adhuc anno 1184. uti videre est in Monum. Boicis T. III. p. 118. E Comitibus de Andechs oriundus, & quidem II. ejus nominis, secundum schema in iisdem Monum. Boicis T. VIII. p. 298. reperiendum. At IV. ejus nominis esse debet secundum documenta quæ de illis Comi-

Comitibus occurunt T. VII. quidem libri atque illius indice. Tandem secundum Orig. Boicas T. II. p. 250. & schema ibi occurrentes vel is esse potest, pro temporis ratione, qui illic X (III) vel is qui XI (IV) dicitur; quamvis in eodem libro p. 358. aliud schema occurrat, ubi prior horum his numeris insignitur, (VI) III posterior autem his IV (X). Quum tamen in T. VIII. Monum. Boicorum l. c. dicatur, *schemam illic leviter adumbratum, egregiis probationibus instructum iri*, id quod illuc reperiatur primum omnium posui, avide cum Orbe literato probationes hasce exspectans.

§. X.

IX. HERMANNVS *Marchio Veronæ.*

Haud diversus is est ab Hermanno ejus nominis W. Marchione Badensi, Hermanni III. filio, cui Frid. I. Imp. Marchiam Veronensem impertitus fuerat. *V. τον παννυ SCHÖPFLINVM in Orig. Zar. Bad. T. I. p. 300.*

§. XI.

X. *comes HENRICVS, dux Spleten.*

Spoleti dux mihi olim, e vocis sono is Henricus videbatur, sed quid nunc dicere queam

E

queam nescio, quum nuspiam hucusque ejus nominis ducem Spoletanum invenerim. RENALDV^S anno 1220. ducis elogio Spoleti ditioni præfuit, v. MARTENE Monum. T. I. p. 1184. De anterioribus Spoleti ducibus quædam habet LE-BRETIVS Gesch. von Italien XL. der allgem. Weltgesch. p. 379. Sed nihil ibi ultra GODOFREDVM Mathildis celeberrimæ maritum. Quis ergo posthac Ducatui huic præfuit? Ubique nil quod satisfaciat, in libris quorum mihi saltem copia fuit: CAMPPELLI enim Historiam Spoletanam, e Bibliotheca olim Paterna notam hucusque narcissi non potui. Muratoriana editio hic legit Comes Henricus de Dietse, quæ si vera esset lectio, nimis tamen a priori differens, idem esset qui apud LEHMANNVM Speir. Chron. p. 530. edit. in 4. ceu testis anno 1182. in dipl. ejusdem Imp. occurrit, uti & apud HONTHEM. Hist. Trevir. T. I. p. 612. De Comitibus Deciae, Diez, v. Kremers Orig. Nassovicæ T. I. p. 368. ubi Genealogia. Idem Frid. I. legatus erat in Pacificatione cum Alexandro III. Pontifice, ab Italib[us] de Diessa dictus, ceu notavit B. P. in Ged. über den lebh. Gebr. des L. Rechts p. 194. seq. Quid, si diceremus, conjectura ex utramque instrumenti hujus in diversis editionibus lectione ducta, eundem hunc Henricum Comitem postea

postea forsan spoleti ducem effectum fuisse,
& inde sic, junctis variantibus, legendum:
Comes Henricus de Dietse, Dux Spolebensis?

§. XII.

XI. *Comes Theopabus de Lexchomienda.*

Quis hominum & hunc in Germania
quæreret? Et tamen haud extra illam repe-
riendus erit. Quod ut asserere possim pro-
fuit mihi rursus MVRATORIVS, ita legens;
Comes Theopoldus de Lescemunde: Est vero
Lescemund vel potius *Lechs mund* & *Lechs*
gemund hodie quoque Palatinatus superio-
ris pagus, BÜSCHINGIO texte, Geogr. T.
VIII. p. 1913. magnorumque olim Comi-
tum domicilium. v. Orig. Boi. T. II. p.
156. ubi eorum origo deducitur. Ex eo-
rum numero *Dietpoldus* quidam occurrit,
(idem vero id nomen cum Theopoldi, uti
Theodoricus & Dietericus) apud *Hontheim*.
l. c. T. I. p. 604. in dipl. de ao. 1174. &
in diplomate ipsius FRIDERICI Imperatoris
de ipso anno pacis conditæ in MON. Boi.
T. VIII. p. 518. Ut ergo & hic testis vero
suo nomini & genti exinde vindicari queat.
Quanta vero hæc gens olim fuerit, vel
exinde patet, quod notante HVNDIO Bayr.
Stamm. l. p. 103. principum modo, qua-
tuor officiales hæreditarios (*Erbämlter*) ex
nobilibus sit nalta.

E 2

§. XIII.

§. XIII.

XII. *Comes Ludovicus, frater Cancellarii,
de Olfestre.*

MVRATORIVS, & quoties adhuc repetendus? hic legit, *de Holfestem*. Hoc vero mihi ansam dedit Ludovicum hunc inter *Helfensteinios Comites*, olim in Suevia celebres, quærendi. Invenio autem in eorum Schemate Genealogico Ludovicum ejus nominis M. ab anno 1165. regnante, qui & anno 1179. torneamento Florentii Comitis Hollandiae, interfuit. Facili ergo negotio & ad Pacis hujus conditae annum pervenire, eamque signare potuit. v. Lucæ Grafensall p. 997. Ita vero *Godefridus Cancellarius* ejus frater, post tot de vera ejus gente disceptationes verosimillime tandem *Helfensteinis* accensabitur. Distinguendi vero hi *Helfensteinii* quod obiter notandum ab alia cognomini familia semper in subscriptionibus infima in classi occurrentes, & ideo non Comitibus aut Dynastis sed simplicibus Nobilibus accensenda. Hontheim. Hist. Trev. T. I. p. 621. ubi Guilielmus de Helfenstein primus est inter ministeriales.

§. XIV.

XIII. *RODVLEVS Camerarius.*

Apud SCHÖPFLINVM Alf. diplom. n. 344.
occur-

occurrit talis, e nota Camerariorum gente de Sibeneich, ceu testis in Dipl. ejusdem Imp. Frid. I. anno 1189. quem cum hoc Rudolfo eundem fuisse nullus dubito.

§. XV.

XIII. GVARNERIUS de *Lombardia*.

Guarnerium, Wernerum esse nemo ignorat, sed vocem *Lombardiae* erroneè pro *Bolandia* positam esse ego saltem ignoravi, donec in Muratoriana editione legi: *Wernerius de Bonlandia*. Notissima alias Gens Bolandica vel Bonlandica nam utroque modo in Diplomatibus dicitur. v. Geneal. Domin. de Falkenstein 1745. in fol. impressa, Prob. ad Tab. I. quæ ipsa Genealogiam prospiciæ hujus exhibit. Secundum rationem temporis is qui hic signavit esset Wernerus in dictatabula ejus nominis III. & Imperii Senescallus compellatur. Notandum tamen hic, obiter & filiations non satis inibi probatas, & absque fundamento, ut mihi quidem videtur, Wernerum hunc Imperii Senescallum, & in hoc libro & in Probationibus Liningensibus 1748. in fol. editis, vocari. In partes quidem vocat dicta Genealogia documenta anni 1213. ad 1220. ubi Wernerus de Bolandia ceu Imp. dapifer vel Senescallus comparet. Sed quum eo tempore jam secundum idem

E 3

Wer-

Wernerus ejus nominis IV. vixerit, ad eum potius id referendum.

§. XVI.

XV. *Cuno de Minabere.*

Nemo sane facile sub hoc ignotissimo & Italicum potius sonum habente nomine Germanum dinastam *Cunonem* nempe *de Münzenberg* latere suspicabitur. Id tamen credere me jussit MVRATORIVS, secundum quem hic legendum, *Cuno de Nuncenbere*. Erat vero Cuno is perpetuis fere Friderici Imperat. I. comes, & ubique in Dipl. ipsius testis, ceu videre est apud GVDENVM Cod. Dipl. & SCHÖPFLINVM Als. dipl. passim uti & sub anno 1182. apud LEHMANNVM Speir. Chron. p. 530. Idem exinde maxime notus, quod Monasterium Altenburgense a prædecessoribus suis fundatum in castrum Arnsburgense transtulit anno 1174. cuius fundationis literæ apud GVDENVM d. l. T. I. p. 198.

§. XVII.

XVI. *Conradus Pincerna.*

Is ab anno 1174. in Diplomatibus Imp. Friderici apparet. Fuit autem ex gente de Sipf ceu videre est ex dipl. apud HVND. Metrop. Salisb. ubi p. 40. T. II. inter testes occurrit *Conradus pincerna de Cipfe*. V. & PFEFFINGERVS ad Vitr. T. III. p. 792.

§. XVIII.

§. XVIII.

Et sic meo quidem sensu hi omnes, in utraque editione Instrumenti hujus, legendi proceres nominibus gentibusque suis genuino modo essent restituti. Unus autem utrobique omittitur, qui tamen necessario adesse debebat, imo fere abesse non poterat, Episcopus nempe Constantiensis. Is vero itidem HERMANNVS ceu Monasteriensis vocabatur. P. BERTIVS Rer. Germ. L. VI. p. 11. cum Episcopatumque hunc adhuc anno 1187. secundum chartam apud SCHÖPFLINVM Alsat. dipl. n. 338. imo ad a. 1192. secundum JAC. MANLIVM Chron. Const. apud PISTOR. l. c. tenuit. Is ergo procul dubio, inter subscriptentes nomen suum posuit, sed illud quum & nomina duorum episcoporum penitus, & nomina Cathedralium in fine, admodum sibi similia essent, faciliter scribentium incuria in utraque pacis hujus editione periisse putandus est. Unde, quamvis nullo Codice quod sciam, adstipulante, ego ita in instrumenta habuisse & ita genuinam lectionem restituendam esse asserere audeam: *Hermannus Monasteriensis episcopus, Hermannus Constantiensis episcopus*, vel vice versa. Quis enim horum episcoporum prior ordine subscriptferit? indagare nequeo, nisi quod confici

confici liceat. Ei in cujus sede conventus pacis celebrabatur primum, honoris causa, in subscriptione locum concessum fuisse.

§. XIX.

Quæ omnia si lectori arrideant, ita in posterum hoc loco legendum erit:

Hermannus Constantiensis Episcopus: Hermannus Monasteriensis episcopus. Henricus Curiensis electus. Thitelmus Augiensis Abbas. Godefridus Imperialis aulæ Cancellarius: Otto Dux Bavariæ. Fridericus Dux Sueviæ filius noster. Bertoldus Dux Zaringensis. Bertoldus Marchio Istriæ. Hermannus Marchio Veronensis. Comes Henricus de Dietse, Dux Spoletensis. Comes Theopoldus de Lechsgemund, Comes Ludovicus, frater Cancellarii, de Helfenstein. Rodulfus Camerarius, Wernerus de Bolandia. Cuno de Münzenberg, Conradus Pincerna;

quod quantum a vulgata lectione discrepet ipse B. L. animadvertes. Tu vero hanc meam quantamcunque in restituendo hoc loco navatam operam æqui bonique facias, quin & meliora si velis possisque edoceas. Vale.



Ka 3689

ULB Halle
006 784 127

3




VD 18

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Dark Gray	Black



MEDITATIONVM IVRIDICO- HISTORICARVM SPECIMINA TRIA

RENATI CAROLI, H. F. BARONIS
DE SENKENBERG,

SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO - DARM-
STADTINI IN TRIBVNALI REGIMINIS HIC LOCI
CONSILIARIVS, ECCLESIAQVE CATHEDRA-
LIS LVBECKENSIS, NEC NON COLLE-
GIATÆ S. BONIFACII HAME-
LENSIS CANONICVS.



KENNERIED
UNIVERS.
ZVHALIE

Ka 3689

GIESSE,
APVD JVSTI FRIDERICI KRIEGERI.
MDCCCLXXXII.